voluptates, ſi quidquam de cæleſtibus guſtare vultis, & experiemini non ſolum gaudium hoc ſolidum eſſe, ac plenum, verum etiam conſtans, & duraturum; cum gaudium, quod mundi bona pariunt, non plus addit diuturnitatis, quam ſoliditatis.

Hoc alterum eſt vitium, quod in illo S. Auguſtinus deprehendit, *mentiuntur*, *moriuntur*. Hæc gaudia evaneſcunt, & intercidunt eodem fere momento, quo oriuntur; ideoque Sanctus Job illa comparat puncto, nullam habenti extenſionem, & cujus principium, ac finis ſimul conjuncta ſunt: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* (*Job* 20.) Etenim licet habitus non obtunderet illius apicem, ſolum tempus attenuaret illud, nobiſque dolorem relinqueret videndi illud præteriiſſe: hæc quippe illius eſt natura, eſſe mutabile, non ſecus ac objecta, quæ illud producunt, videlicet bona vitæ hujus, quæ in æſtu jugi verſantur, quæ invicem ſeſe impellunt, expelluntque; & Propterea S. Paulus Apoſtolus inquit: *Præterit figura hujus mundi*; Mundum inceſſanter os, faciemque mutare, perinde ac per hanc objectorum, eventuum, novorum ſpectaculorum, quæ noſtris incurrunt oculis, viciſſitudinem ſubſiſteret. Gaudia igitur, quæ ibi guſtantur, earum rerum imitantur mobilitatem, ita ut illis inhærentes in ſingula momenta eadem amittant. Hæc diffluunt prout illi fruuntur, & quidquid adnitantur, ut fugientes has remorentur voluptates, velut umbræ prætereunt, & eos deſerunt, antequam illi ipſi mundum reliquerint.

Hoc illud eſt, quod hominum ſapientiſſimus docere nos voluit, poſtquam omnes conatus ſuos exhauſiſſet & totam potentiam, omniaque mentis ſuæ lumina adhibuiſſet quæſiturus gaudium conſtans ac diuturnum in rebus vitæ hujus, palam coram univerſo mundo profitetur, ſe id aſſequi non potuiſſe. Ad id autem quid fecit? Ipſe audiendus eſt: incepi, inquit, magnificas ædes extruere, immenſos theſauros colligere, ut ſumptibus pecunia ſuppeteret, ſed hæc omnia me voti compotem, beatioremque non efficiebant. Mutavi conſilium; *Verti me ad aliud*; (*Eccleſ.* 9.) pergit ille; Credidi gloriam, & honorem quæ deperibam, jucundius objectum futurum; ideoque juſſi mihi præſtari omnia obſequia quæ Regi omnium ſuperbiſſimo præſtari poſſunt. Univerſus orbis coram me flexit genu, ut mihi obſequeretur: *Verti me ad aliud.* Alia mihi fuit inquirenda via, & medium aliud tentandum; inde expertus ſum, utrum voluptates, quæ meam decerent ætatem me beatiorem efficerent; & ſtatim quidquid in terris repertum fuit par alliciendo, ac trahendo me, ſeſe meis obtulit deſideriis; ſed ibi etiam quod quærebam nactus non ſum, *itaque verti me ad aliud.* Tranſibam de objecto in objectum, de voluptate in voluptatem cum tædio, quod efficiebat, ut omnes generatim perquirerem illis ſingillatim repulſam daturus. Denique commentitiam conſectabar felicitatem, quam aſſequi non poteram, quærens inceſſanter ſemperque deſiderans, mutans in ſingulas horas objecta, & poſt breve temporis intervallum rejiciens, quod ardentius fueram proſecutus; cognoſcebam quippe ea, quæ pluris feceram non aliud eſſe quam illuſæ imaginationis effectum. Denique inveni, in poſſeſſione bonorum mundi hujus nihil eſſe niſi oneroſam ſatietatem, quæ effecit, ut omnia contemnerem: *Et in his omnibus reperi afflictionem Spiritus.* (*Eccleſ.* 2.)

Hoc autem accidit, quia cor noſtrum factum eſt propter alia bona, aliaſque voluptates, non terrenas, quæ illud occupant, quin illi ſatisfacere valeant, quemadmodum S. Auguſtinus exclamabat: *Feciſti nos ad te, Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* (*L.* 1. *Conf.*) Hinc oritur, ut cum cupiditates noſtræ exarſerunt, & cum ætate deferbuerunt, ſæpe videmus homines mundi hujus pertæſos, qui poſtquam objecta omnia conſectati ſunt, & nihil invenerunt, niſi ægritudines, & amaritudines, reliquum vitæ ſuæ ſpatium traducunt in deploranda ſua cæcitate, ac inania, & requirenda in Dei ſervitute ſolidiore, ac diutiore oblectatione.

Denique quod magis magiſque a mundi gaudiis vos debet avellere, eſt poſtrema qualitas, quam S. Auguſtinus illis attribuit, videlicet quod illa non ſolum nos fallunt, nos deſerunt, & brevi labuntur, verum etiam nos denique trahunt, & in æternum præcipites nos tradunt infortunium! *Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt.* Hic finis, & funeſta hæc cataſtrophe in nobis ciere debet majorem horrorem, tanquam poculi veneno infecti, quantumvis guſtui ſuave eſſe videatur; etenim ad hanc mortem æternam hic mundus adducit, qui nobis placet, qui nos trahit, qui nos allicit, qui nos faſcinat, & ſeducit.

Nihil hoc ridentius, nihil acceptius, nihil officioſius; ſed non videtis lethale virus, quod ſub his floribus latet, non deprehenditis, quam abruptum ſit hoc iter, quod ita commodum, latumque videtur; neque ſolliciti eſtis de termino, in quem hæc noxia gaudia perducunt, quæ ubi ſemel præterierunt, locum vacuum relinquent ſuppliciis, quæ æternitate, ac incomprehenſibili auſteritate punient illud perfunctoriæ voluptatis momentum: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*, S. Bernardus ait. Hæc eſt quærimonia, in quam mundi ſectatores inter ſua erumpent ſupplicia. O Deus! adeo ne caro pretio emenda erant gaudia, quæ tam celeriter præterierunt? Tantane hæc erant gaudia, ut ſuppliciorum æternitate eſſent comparanda? Ideone æternum infelix futurus ſum? *Momentaneum quod delectat.* Hæc gaudia momento permanſerunt; ſed pœna, quam in caput noſtrum congeſſerunt, nullum eſt finem habitura? *Æternum quod cruciat.* Ne expectemus, auditores, donec propria calamitas nobis oculos aperuerit; cogitemus potius gaudia, quæ in Dei ſervitute guſtantur, in Bibliis vocari aquam vivam ſalientem in vitam æternam: *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* (*Joann.* 4.) Quemadmodum defluunt a Cælo, illuc revertuntur: illuc attollunt juſtum, & efficiunt, ut guſtet partem earum deliciarum, quibus in æternum eſt perfruiturus.

Conclusio.

Quandoquidem ergo, fideles, Deus, & mundus duo ſunt Domini ſimul certantes, uter nos ſit poſſeſſurus, ut ſermoni huic finem faciam, vobis dicam, quod olim magnus Imperator Joſue dixit populo ſuo: *Eligite vobis hodie, cui potiſſimum ſervire debeatis.* Vobis hodierna die eligendus eſt dominus, ſed ubi reperiri poteſt commodior, aut ſuavior Deo, qui efficit, ut jugum ſuum ferentes illud facile inveniant? Quod ſi animum advertimus non ſolum hunc eſſe dominum mitiſſimum, ſed etiam maximum, & qui meretur, ut creata omnia ſeſe immolent, atque abſumant pro gloria ſua, hac in re locum habebit illud Apoſtoli verbum: *Ut ambuletis digne Deo.* Ut illi ſerviamus, quantum ille meretur, & quantum patitur noſtra fragilitas; videlicet cum conſtantia, & ardore, quo percurrere valeamus, ubi vix alii poſſunt ambulare. Hoc effecit, ut olim martyres perferrent teterrima quæque ſupplicia; hoc efficit, ut illi inter vincula, & carceres deliciis perfunderentur; hoc modo etiam cruci, & mortificationibus ſuis addit illecebras, quas tot animæ ſanctæ amplectuntur. Hoc denique efficit, ut tot viri nobiles genere, & præſtantes ingenio, voluptatibus, ac terræ divitiis nuntium mittant, ut ſeſe magno huic Domino in tot adeo auſteris Religionibus ſeſe devoveant, & facit, ut gaudium nanciſcantur in iis rebus ipſis, quæ aliis moleſtæ, horrenteſque videntur.

Sed licet Deus omnia poſſit a nobis exigere, immo etiam plena auctoritate titulo majeſtatis ſuæ nos ſubjicere valeat, mavult tamen nos illi ſponte, ac amoris cauſa inſervire. Ideo nos invitat, nos primus ſollicitat; & videtur etiam cum aliis dominis decertare qui ſimul in partes ſuas non pertrahere conantur. Mundus nos urget, perſequitur dæmon & caro nos ſuis captat illecebris. Cuinam obſequemur? Cui noſmet trademus? Sed quis hoc melius meretur, quam Deus, Dominus iſte bonus adeo, & ſuavis, ſimulque ita magnus? Quis melius nos remunerabitur? *Mundus clamat, deficio*, S. Bernardus ait, *Caro, inficio; dæmon, conficio; Deus clamat, reficio.* Mundus nobis pollicetur honores, & opes, ſed eſt nobis pauperior, numquam nobis ſatisfaciet; *deficio.* Caro polluit cor noſtrum, *caro, inficio*; ego vero, dæmon ait, occido, & victimam facio inferni flammis abſumendam, *conficio.* Ne ſimus adeo miſeri, ut magiſtro adeo crudeli ſerviamus: Sed Deus nos conſolatur, nos replet, nos in hac etiam vita facit beatos. *Deus clamat: reficio.* Hic igitur hodie nobis eligendus eſt in Dominum; quia deinceps in omnem æternitatem opellam noſtram eſt remuneraturus.

SERMO DECIMUS.

De Conciliandis Officiis Mundi, & Religionis.

SIcuti mundi nomen æquivocum eſt æque in ſermone Spiritus ſancti, atque in communi hominum uſu, mirum non eſt, Auditores, ſi videmus in Evangelio placita, & propoſitiones quaſdam, quæ ſecum pugnare videntur, ſive vario conceptu, quem habemus de mundo; & niſi varia vocis hujus ſignificatio ſatis oſtenderet veritatem. Videmus profecto Dei Filium modo contorquere anathemata, & maledicta in hunc mundum, qui objectum eſt odii illius, modo vero dicere, ſe veniſſe, ut ſanctificaret illum, ac benedictionibus ſuis cumularet. Hic reſpicit illum tanquam inimicum, qui ab ipſo fuit ſuperandus, quem evitari jubet, & cum quo non vult diſcipulos ſuos habere commercium; alibi vero ait ſe miſereri illius, nihilque ſibi antiquius eſſe, quam omnem malorum ejus originem exhaurire. Obſtupeo, cum video Salvatorem hominum jam ſubeundæ morti paratum, nolle pro mundo preces effundere: *Non pro mundo rogo*, (*Joann.* 17.) & ægre ſenſum hunc conciliare valeo Dei miſericordiæ cumulatiſſimi, cum immenſa ipſius caritate, quæ effecit, ut mundum univerſum complecteretur, & vitam ſuam impenderet, ut eumdem redimeret. Denique non ita facile intelligo, quomodo mundus ſit objectum odii illius ſimul & amoris, quomodo illum ſalvum faciat, & reprobet; quomodo nullis pepercerit ſumptibus, ut ſincerum teſtaretur deſiderium ſalutis ipſius, & nihilominus aſſerat, illum jam judicatum, damnatumque fuiſſe.

Ad conciliandos hos ſenſus, qui ſibi pugnare videntur in corde Hominis Dei, dicendum eſt mundum quoque in diverſo accipi ſenſu; modo enim ſumitur pro cœtu impiorum viventium ſine lege, ſine conſcientia, ſine religione, cupiditatum ſuarum mancipia, quibus voluptas quæcumque tandem ſit, inſtar eſt ſummi boni. Hoc in ſenſu, conciliaretur potius lumen cum tenebris, quam J. C. cum Belial, ut S. Paulus Apoſtolus loquitur; ita Dei Filius reſpicit eos, qui corruptum, ac perverſum hunc diligunt mundum, tanquam infeſtiſſimos hoſtes, & in hos fulmina, & maledicta contorquet; quia mundus tunc accipitur pro ſcandali regno, pro ſchola licentiæ · pro vitiorum omnium ſentina, pro vitiis omnibus, ſed alius eſt mundus, quem Dei Filius diligit, quem fidei ſuæ luminibus illuſtraturus acceſſit, quem per gratiam ſuam cupit ſanctificare, & de quo dicit Evangelium, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* (*Joann.* 3.) Mundus autem hic eſt eorum ſocietas, qui Filium tanquam Salvatorem ſuum habentes, proficere adnituntur redemptionis beneficio, illius placita ſequentes, ac ſeſe reddentes fideles obſervatores legum ipſius. Quod minime prohibet quominus tertiam mundi ſpeciem diſtinguamus, ſi fas eſt ita loqui, & eſt ille, qui a Religione abſtrahit, ut conſideret civiles tantum, & morales qualitates: & mundus hic ex illis conflatus eſt, qui honeſti viri vocantur, qui palam probantur, qui frugi vivunt, & ad rectæ rationis normam, officioſi, affabiles, recti corde, qui ſibi conciliant bonorum omnium amorem, & familiaritatem. Dico autem mundi hujus legibus & officiis fas eſse Chriſtifidelem ſeſe accommodare in rebus omnibus, quæ neque Dei gloriæ, neque conſcientiæ ſuæ adverſantur; & in hoc ſunt, Cæſari eſſe reddenda, quæ Cæſaris ſunt. Itaque nulla eſt dubitatio, vel difficultas, quod aliquis mundi hujus ſimul eſſe poſſit, & vir perfecte honeſtus, & verus Chriſtianus. Audite argumenta.

II. PARS.

I. PARS.

Deſumpta ſunt autem ex tribus rebus, quæ mundum hunc civilem componunt, & quæ prorſus ſunt neceſſaria, ut aliquo in pretio ſimus, & illic aliquo in honore habeamur. Non deſunt leges, hujus mundi propriæ, quæ neceſſario conſtituendæ fuerunt, ut ſervaretur ordo, qui alioquin vigere non poterat; ſunt quædam officia, quæ normæ loco habenda ſunt in urbanæ ſocietatis officiis; ut quolibet in ſtatu vivamus, ſecundum honeſtorum virorum exempla: & hæ leges, & canones, ut noſtis, ſunt quædam agendi rationes, quædam obſequia invicem reddenda, & exigenda, vincula quædam citra exiſtimationis detrimentum infringenda, mores quidam denique, quos non prætermittere conſuetudo vetat, & minime honeſtum cenſetur. Dico autem, Auditores, tantum abeſſe, ut Chriſtiana Religio his legibus adverſetur, ac damnet conſuetudines in mundi commercio conſtitutas, ut illas probet, illis ſeſe conformem præbeat, eaſque nos ſequi jubeat. Sed ne fallamini, & cavete, me hoc in loco verba tantum facere de legibus, atque inſtitutis, ad decorem ſervandum inventis, non autem de illis, quæ in vitium, ac ſcelus impellunt, & quæ vulgo mundi placita, leges ſæculi, lata via, ac in mortem deducens vocatur. Hoc numquam ſatis prædicare poſſum, & numquam ſatis præcavere, ne ſermo iſte meus ſit nonnullis ſcandali, non ædificationis occaſio.

Igitur iterum prædico, inter Chriſtianum, honeſtumque virum nullam eſſe oppoſitionem. Chriſtianum poſſe, immo etiam debere ſui ſtatus, ſui characteris, ſuæ profeſſionis, munerisque officia exercere. Verum eſt ne adhuc integra videri propoſitionem hanc pugnare cum ſalutari monito, quod S. Paulus generatim tradit fidelibus omnibus, ne ſequantur ſæculi placita, ſed actionum ſuarum aliam omnino regulam ſequantur: *Nolite conformari huic ſæculo.* (*Ad Rom.*) Sed mihi in memoriam vobis revocandum eſt, ſenſum verborum hujus Apoſtoli omnino alium eſſe ab eo, quem ipſi intelligimus, ut videlicet noſmet conformemus legibus, & inſtitutis muneris, vel conditionis noſtræ. Quod docet Apoſtolus, in dubium revocari non poteſt, quia ſæculum, & mundus eo in ſenſu, quem ipſe intelligit, oppoſiti ſunt Spiritui Dei, & conſtantiſſimis Evangelicis doctrinis; ſed in eo ſenſu, quem ipſi accipimus, nihil habet, quod officiat magno huic noſtræ Religionis principio, & morali Chriſtianiſmi diſciplinæ. Quæro enim a vobis, utrum hoc fuerit Evangelii conſilium, evertendi ordinem a divina Providentia conſtitutum quoad conditionum diſcrimen, ac ſtatuum varietatem, quæ urbes, & Regna componunt? Non ita profecto reddetis. Deus idem voluit, & S. Paulus hoc docet, eſſe aliquam inter homines ſubordinationem, eſſe ſocietatem, commercium, nexum, ideoque regulas, ſtatuta, legeſque ad eas fovendas, ſervandaſque, atque ut in mundo vivant juxta eum ſtatum ad quem ſunt evocati. Hoc negari non poteſt: nam huic innixus principio idem Apoſtolus Dei verbis imperat, ut juſtitiæ adimpleamus officia, reddentes honorem, quibus debetur, obſequium, atque vectigal, illis ad quos pertinent. Hoc præcepto probatur jus, quod alii habent præcipiendi, & neceſſitatem, quæ aliis eſt obtemperandi; quippe hic ordo inſtitutus fuit ab ipſo Deo, & neceſſarius eſt, ad ſervandam in mundo pacem, concordiam & ſocietatem.

Tenentur ergo fideles, qui in mundo vivunt, hunc ſervare ordinem, ſeſe his legibus ſubjicere, & ſeſe his conformare conſuetudinibus; ne ut Apoſtolus noſter inquit demus cuipiam conquerendi cauſſam magiſtratibus, Poteſtatibus, æqualibus, ac ne illis quidem, qui nobis ſubjecti ſunt: *Nemini dantes ullam offenſionem.* Quod oſtendit hoc non ſolum eſſe juſtitiæ debitum, ſed etiam urbanitatis, & etiam atque etiam commendat, ut hac in re omnis ſingularitas evitetur; ne qui alterius erant Religionis odiſſent, vel contemnerent Chriſtianos, tamquam homines rudes, inſociabiles, inhoneſtos, vivere neſcios, & omnia urbanitatis officia ignorantes. Opinio hæc adeo iniqua, quæ de illis concepta fuiſſet, omnes gentes repuliſſet, ac tandem offeciſſet fini Religionis Chriſtianæ, quæ erat ſibi mundum univerſum conciliandi, faciens ſe omnibus omnia, ut omnes ad veri Dei cultum pertraheret. At ſi Chriſtianus ſubjectus eſt his legibus tam æquitatis, quam officii, & ſi Religio quin ab illis diſpenſet, jubet immo, ut diligentius, & fidelius illas adimpleamus, nos conſcientiæ vinculis adſtringens, quod nulla alia conſideratio arctius hoc efficere poſſet; nonne fatendum eſt, tantum abeſſe, ut obicem ſtatuat, ut valida ſit ratio propter quam illas obſervare tenemur? quis ergo ſimul & hanc hauriet concluſionem, ſi hoc eſt honeſte vivere haberi probum, ac virtute præditum virum; & ſi eſt honeſtum eſſe virum urbanum ſuperiorem ſe præbere cenſuræ, nullam cuipiam præbere anſam conquerendi? Religio, & virtus minime pugnant cum mundi officiis, atque urbanitate, ſed e contra hanc habent utilitatem, quam omnia ethnicæ diſciplinæ præcepta conferre nequeunt, & illud ipſum diſcrimen quod intercedit inter probitatem veri chriſtiani, & illa infidelis viri conſtituenda ſit in modo adimplendi officia, & munera vitæ civilis, in quo conſtituitur qualitas hominis honeſti.

Sed quid ratione opus eſt, cum ipſa loquatur experientia, omnium ſæculorum, inquam, experientia, omnium inquam mortalium experientia, noſtra tandem propria experientia? In ipſo Chriſtianiſmi ortu, quid moderatius, quid humanius, quid ſuavius, quid officioſius primis fidelibus? Hoc etiam atque etiam illis commendabat Apoſtolus, ut invicem certarent urbanitatis officiis, ſibi alternatim honorem adhiberent, reverentiam, & obſequia, quæ ſingulorum ordo, virtus, & munera flagitabant: *Honorem invicem prævenientes*; (*Ad Rom.* 12.) Volebat, ut alios etiam in bonorum ſuorum partem vocarent: *invicem communicantes*; & eorum converſatio honeſta eſſet, & officioſa: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipſum invicem ſentientes.* Ut jurgia, & lites procul extruderentur; & ſicut nihil magis opponitur qualitati honeſti viri, quam ſpiritus contentionis, cupiditatis, & litium; Apoſtolus hic nonne palam profitetur hanc non eſſe fidelium conſuetudinem? *Nos talem conſuetudinem non habemus.* (2. *ad Cor.*) Ceterum cum aſſentationes, inanes ſerviles que adulationes, & affectatæ laudes honeſto viro indignæ ſint, nonne illis commendat ſimplicitatem, ac ingenuam libertatem, quæ maxime decet virum illius characteris, de quo verba facimus; & cum S. Petrus volebat ut ſuavibus, modeſtiſque rationibus immitterent ſenſus humilitatis, nonne condemnat ſcrupulos, & formulas, quæ crucem figunt, & adverſantur facili commercio, quod in homine honeſto requiritur? *Humilitatem invicem inſinuate.* (1. *Petr.*)

Sed quomodonam illi cum Ethnicis gerebant ſe? illorum ſuavitas, modeſtia, caritas honori erant Religioni ſuæ: quandoquidem ſatis erat videre hominem frugi, ſuis adimplendis muneribus attentum, moderatum, caritatis plenum, & officioſum, ut cenſeretur Chriſtifidelis. Qui illum intuebantur paratum, ut de omnibus bene mereretur, judicabant optimam eſſe legem quam ille profitebatur. Videbatur illa ferociſſima ingenia cicurire, furentiſſimum quemlibet placare, indocilem, & inhumanum quemlibet ſubjicere, ita ut Chriſtianiſmus videretur illis ſchola virtutis, & honeſtatis ſimul, ubi pietatis, & urbanitatis tradebantur officia, ac tandem diſcebatur, quid Deo deberetur, & quid a nobis homines poſſent exigere; & hoc illud eſt, quod præcepit Dei Filius, ut redderent: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo.* (*Matth.* 12.)

Quod ſi a primorum ſæculorum fidelibus ad eos noſtri hujus gradum faciamus, nonne verum eſt eos, qui honeſtiſſimi habentur, eos eſſe, qui accuratius ſua obeunt officia? Non loquor ſolum de iis officiis, quæ ad Chriſtianos in Religionis negotio pertinent, ſed loquor de illis, in quibus cavent, ne deficiant, ubi de illorum conditione agitur, vel profeſſione. Caritate ſunt pleni, & affabilitate, alieni ab injuria cuipiam inferenda; remittunt ſæpe aliquid de jure ſuo propter pacem, quam fovere vellent cum omni perſonarum genere. Viri boni dicuntur honeſti, frugi; quæ varia vocabula ſi ad examen revocaveris, invenies ſignificare eamdem rem, & diligentiam, ac fidem in obeundis Religionis officiis efficere, ut majori cum nominis exiſtimatione fruantur in mundo. Hinc ergo videtis, hæc officiorum genera, quin ſibimet adverſentur, aut viciſſim ſibi pugnent, perfectiſſime coaleſcere, & conciliari.

Neque aliam niſi ex vobiſmetipſis probationem quæratis; ſi perciti ſenſibus, ac veritatibus Religionis noſtræ unquam iniiſtis vitæ, morumque mutandorum conſilium; nonne ſtatim veſtra agendi ratio deprehenſa fuit? Nonne domi viri fuiſtis moderatiores? Officiis veſtris obeundis alacriores, minus cum ſervis imperioſi? Gratia de vobis victoriam retulit, ſaltem ad tempus aliquod: igitur honeſtiores facti eſtis, cum meliores Chriſtiani evaſiſtis; & ſi in Dei cultu perſeveraſtis, igitur nuntium miſiſtis libidinibus, atque flagitiis, quibus voſmet ingurgitaſtis. Verum cum aliam vivendi rationem ſecuti eſtis, ſtatim aliud de vobis judicium ferri cœpit, & aliter de vobis æſtimari, quam antea. Meliores facti eſtis, & incepit eſſe in vobis honeſtus homo, cum virtute prædito, & homine Chriſtiano. Itaque ubi ſæpe auditis prædicari, ad hoc ut Chriſtiano more vivatis, viam eſſe inſtituendam prorſus oppoſitam conſuetudini mundi hujus, vel Evangelium, Patres, omneſque Sanctos illam reſpicere tanquam Chriſtianiſmi placitis oppoſitam, ne inferatis inde, me vobis aliud prædicare Evangelium ab aliis; quia illi per conſuetudinem mundi vocant verſutias, dolos, artes, technas, duplicitatem, aliaque placita, quæ omnem mundo fidem abrogarunt. Sed nos hic intelligimus quidquid boni, & laude digni, vel ſaltem nullo in diſcrimine poſiti, & cui noſmet conformare poſſumus, quin Religioni officiamus.

Hic ſubſiſtere poſſem, & adquieſcere adeo manifeſtæ probationi in gratiam ejus veritatis, quam vobis prædico. Sed aliam afferam non minus valentem; videlicet ſicut mundus in eo ſenſu acceptus, quem explicuimus, ſuas leges habet, quas oportet ſequi, & officia, quæ ſunt obeunda; ita non deeſſe virtutes, quæ omnino ſunt neceſſariæ, ut ibi ducatur vita, quæ honeſtum hominem deceat. Virtutes inquam civiles, & morales, quæ in omni Religionum genere honeſtorum virorum nomen conciliarunt illis, in quibus enituerunt; cujuſmodi ſunt bona fides in promiſſionibus, ſinceritas in verbis, conſtantia in amicitiis, vis, animi magnitudo, integritas, juſtitia, cordis rectitudo, aliæque, quæ nonniſi pro objecto habeant morum honeſtatem, eo tendunt ut honeſtum virum conſtituant, quem ipſi Philoſophi cum homine virtute prædito confuderunt. At enim hæ non vocantur Chriſtianæ virtutes; quandoquidem uſum obtinebant apud Ethnicos, & inde argui poſſe videretur, igitur neminem eſſe poſſe honeſtum virum in mundo, cujuſcumque Religionis eſſet. Hæ veræ ſunt virtutes, non diffiteor, vel inter infideles: itaque nullus dubito quominus reddant poſſidentes ſe honeſtiſſimos homines in ſecta qualibet, ac natione; at non credo, dubitari poſſe quominus Chriſtianiſmus adoptet, ac recipiat virtutes eaſdem, ut etiam illas non attollat, ac reddat perfectiores, illas reddendo ſanctas, atque Chriſtianas, aliaſque adjiciat, quæ non minus conferant ad homines honeſtos ſimul, & ſanctos efficiendos. Hujuſmodi ſunt humilitas, inimicorum dilectio, divitiarum ceterarumque mundi hujus rerum contemptus. Ponamus enim in Ethnica ſuperſtitione inventos fuiſſe, atque ad hanc uſque diem inveniri homines æquos, ſinceros, fideles, conſtantes, & generoſos, atque cum illis agi poſſe tanquam cum honeſtis viris, qui fidem præſtant, & qui ſibi legem indicunt nemini nocendi, ac de omnibus bene merendi; poteſtiſne ſolum dubitare, ne hæ eædem virtutes factæ Chriſtianæ, fiant etiam perfectiores, & ratio moralis honeſtatis, quæ illis ineſt, longe majorem non habeat vim, cum Religionis rationes acceſſerint; videlicet, cum vos illas intuebimini tanquam partem legis, quam amplexi fuiſtis, tanquam medium adquirendi & promerendi æternam felicitatem, immo etiam tanquam obligationem, quam ſubiiſtis, chriſtianæ Religioni nomen dantes?

Mihi autem vobis dicere ſatis eſt, Chriſtianam Religionem majorem dediſſe omnibus hiſce moralibus virtutibus latitudinem; efficere, ut exerceantur ob validiores, & ſublimiores cauſſas; velle, ut illis utamur erga omnia perſonarum genera, quin earum meritum humili, ac ſervili quopiam fine corrumpatur. Non eſt igitur dubitandum quo minus Chriſtianiſmus præbeat auxilium inſigne, & ſatis ſingulare ad honeſtum hominem conſtituendum, & quominus homines pluris faciant, diligant, & confidant in eos, quos credent meliores, fideliores Deo, & ſecundum Religionis ſuæ principia paratiores ad benemerendum de omnibus, licet ſibi inimiciſſimis. Tandem enim mundus nequiſſimus facere nequit quo minus concipiat ſecretam exiſtimationem pro bonis, & admiretur id etiam, quod imitari non vult. Quærit ſæpe horum hominum amicitiam, & illam ſibi gloriæ vertit; ſi cum illis ſibi agendum eſt, fidem habet eorum verbis, illorum æqui bonique facit conſilia quamtumvis non ſemper ſequatur illa. Nonne viſi ſunt Reges vitiis diffluentes habere in honore homines exploratæ probitatis, & in eorum gratiam concedere, quod aſſentatoribus, ac libidinum ſuarum miniſtris negaverant? Videte in Evangelio, quo in loco haberetur Joannes Baptiſta in aula Regis Herodis, & quomodo ibi reciperetur, audiretur, & in honore haberetur: *Libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat.* (*Marc.* 6.) Neque mirum eſt. Virtus ſecretas habet illecebras, quæ efficiunt, ut flagitioſiſſimus quiſque illam amet, atque admiretur, ita ut de illa dici poſſit, quod de Sapientia inquit Scriptura: *Innumerabilis honeſtas per manum illius.* Quemadmodum gratiam, bona officia, obſequium, reverentiam ab hominibus virtute præditis recipimus, ita illos colimus, & obſervamus; cumque honeſtas ſejungi nequeat a virtute; optimus quiſque ſemper habendus eſt ab hominibus tanquam honeſtiſſimus. Hoc illos ſpectabiles efficit, hoc illos a plebe ſecernit; huic non genus, non opes, non ingenium, non dexteritas, non cetera alia talenta ſupplere poſſunt; namque bonus uſus, qui fit harum rerum omnium, adquirit hominis honeſti ſimul, & boni qualitatem.

Poteſt quidem non deeſſe ſpiritus, ſcientia, dexteritas, exiſtimatio, auctoritas, non inficior. Verum ſi putas id, quod efficit honeſtum virum, fallacem eſſe conceptum, quem vobiſmet finxiſtis, ſola virtus hoc tribuit nomen, & hanc qualitatem, quamquam fatear, hæc omnia conferre nitorem virtuti, & prodeſſe ut aliquis inter bonos viros ſecernatur. Cum dicimus, hic vel ille eruditus eſt, ingenio præſtanti præditus, cognoſci, & æſtimari poteſt ex hiſce locis; ſed potiſſimum cum addimus, vir probus eſt, qui diligenter omnia Religionis ſuæ obit officia æque ac illa ſui ſtatus, ſuæque profeſſionis; hoc verum illius meritum conſtituit, hic perfecte honeſtus homo eſt, quia vere eſt vir bonus, & quod ſatis mirum eſt, homines ipſi, qui profecto non habentur ſatis frugi & bene morati, non ſemper habent in pretio id, quod fit pro mundo; ſi enim quid recti ſenſus illis reliquum eſt, probare nequeunt inſanos ſumptus, immodicum luxum, aleam interminatam, inordinatas libidines, & vulgatiſſima placita mundi reprobati, & facere nequeunt quominus laudent, probent, atque admirentur eos omnes, quos ſciunt ab hujuſmodi flagitiis quam longiſſime abhorrere. Hinc diſcite, Auditores, præſtantiſſimam educationem, quam filiis veſtris procurare valeatis, eſſe illis inſpirare pietatem, timorem Dei, accuratam, ſedulamque obſervantiam omnium Religionis officiorum. Vultis eos fieri aliquando honeſtos homines in Mundo, adniſi, ut de illis erudiantur, quæ honeſto viro ſcienda ſunt? incipite igitur illis inſpirare virtutem & ſenſum Chriſtianiſmi; hæc enim tutiſſima via eſt, qua voti rei fieri poſſitis; ſuper hoc fundamento cetera vobis conſtituenda ſunt: norunt dare Cæſari, quod Cæſaris eſt, cum norunt reddere Deo, quod Dei eſt. Et ſicuti Religio illis in honorem vertet, ipſi etiam viciſſim honori erunt Religioni; quod in altera parte viſuri ſumus.

Dei Filius, ut ſtatim Chriſtianam Religionem inſtitueret, II. PARS;
ac oſtenderet, hoc unice ſuum opus eſſe, uſus eſt, ut omnes norunt, iis adminiculis, quæ humanæ ſapientiæ viſa ſunt ejuſdem conſilio maxime oppoſita; etenim ut S. Paulus animadvertit, nequaquam ſibi adjutores elegit viros genere, aut ſcientia ſpectabiles, vel fama, aut eloquentia inſignes, verbo eos, qui tunc temporis, & ibi gentium honeſtiſſimi haberentur, ſed rudes homines ex vulgi fæce, nullius auctoritatis, & nominis, ut mediorum relatio ad finem efficeret, ut totius operis gloria referretur accepta dexteræ omnipotenti, ac prorſus divinæ Sapientiæ. Sed Chriſtiana Religione ſemel inſtituta, & prædicata Auctori tanti hujus miraculi viſum eſt conſilii rationem mutare, aliiſque uti mediis ad hanc Religionem ſervandam, latiuſque proferendam. Neque enim amplius adhibet perſonas contemptibiles, ſed honeſtiſſimas, videlicet homines, qui pietati, virtutique alias conſociant qualitates, quæ illas commendant, eiſque mundi exiſtimationem conciliant. Primum, quia ſuis oſtendunt exemplis, virtutem eſſe honore dignam, & glorioſum eſſe illius partes amplecti. Secundo, quia pondere auctoritatis ſuæ ſuſtinentes Religionem eamdem contra placita impiorum, qui conflant mundum corruptum, manifeſta perſuaſione oſtendunt, quin aliquid de Evangelicis dogmatibus relaxetur, vel de hominis Chriſiiani officiis, hæc omnia conciliari poſſe cum iis conditionibus, quæ minus ad ſalutem conferre videntur. Hoc brevi ad examen vocemus.

Dico igitur honeſtos mundi hujus homines, quo nomine illos nunc intelligo, qui ſpectabiles ſunt genere, ortu, meritis, vel alio quocumque modo, hos, inquam homines honorem afferre Chriſtianiſmo, ac Religioni, cum illius obeunt officia, & Cæſari reddentes, quod ad Cæſarem ſpectat, nulla in re deſunt, quam debent Deo. Hæc ſententia vobis admirationem non debet injicere; nam ſicut fidelis nequam dedecorat Religionem incondito vitæ genere, & præbet anſam credendi illum non eſſe aliorum ſanctiſſimum, quoniam non didicit meliorem ſervare vitam, quemadmodum eloquens Salvianus olim conquerebatur; e contra dici etiam poteſt irreprehenſibiles eorum mores, ſanctas, ac præclaras actiones oſtendere, quanam in ſchola eruditi fuerint, cujus magiſtri diſcipuli ſint, & hoc pacto utrique honorem afferre. Re ipſa cognoſcitur virtus eſſe honore digna, cum illam honeſtiſſimi profitentur, & audeo dicere, deletur macula, quam in prima inſtitutione illi conabantur offundere, & quam Ethnici inceſſanter oculis objiciebant, quod popellus dumtaxat, & homines ex fæce plebis illam amplectebantur; Primum legis Inſtitutorem illius præcepta, & myſteria pauperibus tantum rudibus, & ignaris revelaſſe; neque mirum eſſe, ſi tantum doceret honorum, divitiarum, gloriæ earum rerum contemptum, quas homines ardentius inquirunt. Hæc accommodata eſt eorum ingenio, qui eamdem inſtituerunt, atque annuntiarunt. Homines in obſcuris tenebris nati, animæ humiles, quæ ſeſe ad magnum aliquid neſciunt attollere; veram magnitudinem in humilitate conſtituere voluerunt, ac novam ſibi ad gloriam viam ſternere per crucem, ac ignominiam, quam ſuſtinebant.

Tunc de Chriſtiana Religione ferebatur judicium a qualitatibus eorum, qui illam tradebant, vel amplexabantur; & ſatis diu manſit in contemptu, & mortalium opprobrio; neque inde emerſit, niſi poſtquam homines honeſtiſſimi illam ſecuti ſunt, & primi, ac fideliſſimi fuerunt, qui officiis illi inhærentibus perfungerentur. Hoc voco eſſe honori Religioni ſuæ, illi famam conciliare, & efficere, ut ampliſſimus, & ſpectatiſſimus quiſque honori ſibi vertant ejuſdem ſequi placita, & ſemet illi primos ſubjicere. Hoc autem faciunt homines præſtantiſſimi, ubi conſtanter omnia obeunt Religionis officia; Tuentur nitorem, & auctoritatem, quam illa adepta eſt, vel ſaltem eximunt illam ex opprobrio, & contemptu, in quo erat adhuc apud quamplurimos, qui putant, devotionem, & pietatem eſſe veluti partem exilium ingeniorum; Evangelii placita apta non eſſe niſi ad populos in obedientia cohibendos, cum e contra homines honeſti, qui nati ſunt ad magna, aliam habere debent mentem, ac ampliora cogitare. Inſana illuſio, quæ oſtendit ſæculi corruptionem, & artem dæmonis. Quid objicere poſſum, Auditores, huic tam noxio errori, niſi exemplum eorum, qui inter ceteros nitent, cum non minus fideles ſunt Deo, quam Cæſari, videlicet cum ita accurati, & regulares ſunt in Religionis obſervantia, quam in muneris ſui officiis obeundis? cum hinc quidem adimplent ea, quæ debent mundo, & reddunt illi, quod jure ab ipſis exigere poteſt? ſed inde conantur omnibus perfungi officiis pietatis. Hi homines nonne ſuo oſtendunt exemplo, pietatem eſſe debere virtutem omnibus mortalibus communem? Chriſtianiſmi placita ab omnibus conditionis generibus obſervari poſſe;

& ſi

& ſi Deus in eligendis electis ſuis rationem non habet generis, aliarumque naturalium qualitatum, ipſum non repellere quemquam, ac ſæpe etiam illis uti, quibus ſua contulit beneficia, ut alios in viam ſalutis adducat; ita ut cum primi ſint in officiis ſuis obeundis, cum ſint homines ſpectabiles, vel auctoritatem, & poteſtatem habentes, atque publica approbatione, atque exiſtimatione gaudentes, Religioni ſuæ reverentiam, nomen, atque auctoritatem conciliant.

Quænam felicitas! quod bonum! videre mortalem, qui in ſua conditione, ac ſtatu honeſtus evadit, parem ſe præbet ſuſtinendo honori Religioris, eamque protegendi a contemptu impiorum, & flagitioſorum hominum, iiſque oſtendendi, non deeſſe Deo ſervos æque zelo ſuccenſos pro ejus gloria, ac viri Principes terræ, & officia æquiſſima, quæ nos mundo adnectunt, nequaquam prohibere, quominus Deo perfecte adhæreamus. En denique quid in noſtræ Religionis honorem cedat, videre, honeſtos homines eos eſſe, qui illi conſtantius inhæreant; quod etiam illud opprobrium poteſt excutere, cum infideles nobis exprobrant, vitam, moreſque noſtros nequaquam æque conpoſitos eſſe, ut ſui ſunt. Profecto non alios teſtes probitatis Chriſtianæ Religionis illis proferre poſſumus, quam exempla primorum fidelium, qui illam fuerunt amplexi. Ut ipſi bene vivere teneamur, ſemperne ob oculos nobis erunt objiciendi martyres antiqui? Indeſinenter confugiendum erit ad Thebaidis Anachoretas, & Cœnobitas, qui in Clauſtra, & procul ab hominum commercio vixerunt? Vere Chriſtiani, ac virtute præditi eſſe non poſſumus niſi in Clauſtris, atque deſertis? Si hoc unum ſuſtineret nomen Chriſtiani, & Religionis noſtræ Sanctitatem, hæc ſane ad paucos eſſet redacta, neque ſatis dignus de illius Sanctitate conceptus haberetur: ſed ubi in mundi hujus luce, in magiſtratuum & publicorum honorum officiis obeundis illi videntur, qui honeſtiſſimi habentur, etiam eſſe maxime virtute præditi, & maxime regulares in officiorum ſuorum obſervantia; hoc illud eſt quod Religionem alit, quod cedit in Religionis honorem, quod Religioni decus addit, & lucem.

Hoc tamen non eſt unicum bonum, quod honeſtus homo conferat Religioni eo in loco quem ſibi comparavit, fama inſignis probitatis; etenim ſecundo loco mundo aufert pernicioſum errorem, in quo ſunt nonnumquam illi ipſi, qui optimi habentur; videlicet credere, chriſtianas virtutes maxime ad ſalutem neceſſarias, cujuſmodi ſunt humilitas, ſenſuum mortificatio, paupertas ſpiritus, ſui ipſius abnegatio, aliaque magis eſſentialia Chriſtianæ Religionis placita ſimul ſtare non poſſe cum magnitudine, & auctoritate, cum nomine ſtrenui, ſapientis, & viri eruditi. Ita ſibi perſuadebat Tertullianus, Imperatores, & Principes viros eſſe non poſſe Chriſtianos, quin abdicent Imperium vel ditiones ſuas, & ſi Chriſtianus evaderet magnus, id vel magnitudinem ſuam, vel Religionem eſſe abnegandam. Sublime hoc ingenium, ſed aſſuetum exaggerandis veritatibus, & hyperbolice amplificandis, cogitans Dei Filium in paupertate natum atque humilitate ad ſui cultum nonniſi pauperes, & humili natos loco evocaſſe; ceterum humilitatem ab ipſo conſtitutam fuiſſe tanquam legis Evangelicæ fundamentum, deprehendit quamdam oppoſitionem inter nitorem, & ſubmiſſionem, quam hominum plerique illis præſtabant; ſed non animadverterat, chriſtianam virtutem magis in interiori parte, & corde conſiſtere, quam in externa ſpecie; qua re diſtinguitur ab illa Ethnicorum Philoſophorum, qui famam dumtaxat, & gloriam aucupabantur. Ita Chriſtiani ſub nitenti aſpectu habere poteſt verum contemptum rerum omnium hujus mundi, humilem ſenſum de ſe ipſo, & ſpiritum mortificationis, qui illi omnem auferat ſenſum voluptatum. Cum autem zelotis hujus dogmatum Evangelicorum tempore pauca eſſent interioris hujus virtutis exempla, ſibi [illegible] perſuadebat fore ut in poſterum nulla eſſent futura.

Sed non animadvertit Chriſtianiſmum ſeſe omnibus conditionibus accommodare, quin quidquam remittat de Religionis ſuæ muneribus, atque officiis; quia non jubet practicam divitiarum & honorum mundi abrenuntiationem, ſed interiorem dumtaxat, quam cordis affectionem, & ſpiritus paupertatem vocamus. Ita ut, quemadmodum nitor, magnificentia, reverentia, & populorum obſequium ſæpe requiruntur ad tuendam dignitatem, atque exiſtimationem, ut aliquis honeſtus habeatur in mundo; Chriſtiana Religio non adverſatur, ſed monet tantum, hæc ſimul difficile conciliari poſſe, humilitatem in honore raro inveniri, & temperantiam non adeo facile una cum voluptatibus licet honeſtis, licitiſque permanere, terrenarum rerum contemptum in ſumma bonorum omnium copia eſſe infrequentem; ſed videri tamen in Chriſtianiſmo per honeſtorum hominum exempla, quæ palam oſtendunt, poſſeſſionem, atque perfruitionem horum bonorum non prohibere, quominus aliquis eſſe valeat perfectus Chriſtianus, quandoquidem viſi ſunt Reges æque humiles in purpura, in Solio, ac Cœnobitas in ciliciis, & pœnitentes in pulvere, & cinere; inveniri negotioſos homines, quos negotiorum multitudo ab officiis Religionis avocare non potuit; neque defuiſſe Reginas quæ foverunt ſenſus Eſther, cum ſe vidit ad gloriæ cumulum ſublatam, quatenus uxorem potentiſſimi Regis Terrarum. Scis Domine, neque alium præter te volo teſtem, me nequaquam ambiiſſe coronam, quam capite geſto; me etiam horrere hunc faſtum, & hæc inſignia ſuperbiæ, & me divinæ providentiæ tuæ juſſu ad hunc dignitatis apicem evectam, nunquam oblectatione captam fuiſse propter inanem pompæ hujus fulgorem; neque me illuſam fuiſse uſquam fallacibus meritis, quæ mihi deſunt, neque perſtrictam hujus mundanæ magnitudinis luce, neque deceptam voluptatum illiciis. Tu Domine id noſti, teque teſtem invoco, me millies beatiorem vixiſse in caligine, & obſcuritate, ex qua me eduxiſti; & obedientiam, qua divinæ voluntati tuæ pareo, effeciſse, ut huic ſtatus mutationi memet invitam ſubjicerem. Hoc exemplum ex honeſtis hominibus percipitur. Oſtendunt in mundo exerceri poſſe auſteriſſima Chriſtianæ Religionis placita, in ipſa dignitatum luce haberi poſse cor ab omnibus terræ bonis avulſum, inter divitias, & rerum copiam; & demum aliquem eſse poſse ſimul virum honeſtum, verumque Chriſtianum, ubi reddat Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ ſunt Dei.

Hoc, iterum dico, illud eſt, quod Religioni ſuæ honorem afferre voco per conciliationem officiorum ſtatus ſui, & eorum, quæ Chriſtiana flagitat fides; quia tertio loco viventes, uti verum fidelem decet in tanta noſtri hujus ſæculi colluvie; oſtendimus, Deum hactenus ibi invenire famulos, in quibus gratia plus habet roboris ad illos in bono ſervandos, quam illecebrarum adſit in mundo ad eos corrumpendos; ita ut ſint tanquam totidem gratiæ miracula, quæ palam oſtendunt id quod S. Chryſoſtomus de Job prædicat. Vir juſtus, atque fidelis Deo in regione idolorum cultui addicta, atque inter vitiorum colluviem poſitus, quamdam refert ſpeciem triumphi de virtute; eaque de cauſſa Deus illum tamquam trophæum poſuit, & tanquam prodigium reſpexit. Hoc reipſa erat ſpectaculum, quod placuit in oculis ejus, videntis virum fidelem, ſuis inhærentem officiis, & obnitentem adverſum torrentem quo alii rapiebantur, & cujus exemplum ita validum erat ad inhibenda ſcelera eorum, a quibus videbatur, vel qui eidem ſubditi erant. Spectabilis erat propter locum, quem obtinebat, propter opes, atque auctoritatem ſuam: *Maximus inter Orientales*, ut ſacer Textus loquitur. In Oriente toto nemo erat, qui cum illo comparari poſſet; ſed præ ceteris magis nitebat virtute. Juſtus, & æquus in jure dicundo, ita ut patronus fieret ſervorum ſuorum, ſicubi de illo conquererentur; caritate ſuccenſus eo uſque, ut Deum invocet teſtem, ſe oculum cæco, pedem claudo, perfugium innocentiæ, & miſeris ſolatium fuiſſe. Ejus erga Deum pietas elucebat in Sacrificiis, quæ quotidie pro ſe offerebat, & pro filiis ſuis; zelus vero emicabat efficiendo, ut Dominus ubique coleretur, & in honore haberetur. En quid S. Chryſoſtomus & S. Ambroſius vocent triumphum virtutis inter ſcelera, & flagitia, quæ tunc parabantur; & videbatur Deus ipſe honori ſibi vertere, quod ſervum haberet hujus characteris, qui cum magnus eſſet in mundo propter locum, quem tenebat, major adhuc eſſet propter ſuam in Dei cultu fidelitatem.

Ecce quid honeſti viri faciunt in mundo, quo nomine illos intelligo, qui Chriſtianam vitam ducunt, qui æque replent ſui ſtatus, ſuæque Religionis officia. Hæc ſunt gratiæ miracula, viri viventes in ſæculo, quin ſæculi contagione inficiantur. Quo pauciores id genus inveniuntur, eo majus merentur elogium, atque admirationem; quod aliis exemplo præluceant, ac palam oſtendant, conſenſum officiorum mundi, & Religionis nequaquam ſecum pugnare; ſed ad id magna virtute opus eſſe, non vulgarem animæ magnitudinem, magnam conſtantiam ad ſuſtinendam hanc vitæ rationem. Sed hoc ipſum eorum gloriam, meritum, & coronam conſtituere. Tandem enim eſto quidem, non ſemper optimum ſit conſilium in mundo permanere, ſub hoc prætextu, in mundo etiam ſalvari nos poſſe, ibique vitam honeſtam, & Chriſtianam ducere, propterea quod virtus ibi eſt difficilior; pericula pereundi frequentiora; & laquei, quos dæmon nectit innocentiæ, fere inevitabiles. Eſt tamen magna gloria, & meritum ingens illis, quos ordo divinæ Providentiæ evocavit, aliis eſſe virtutis, & pietatis exemplo, & hoc faciunt honeſti viri, quos vobis exhibui, qui ſimul honori ſunt & Mundo, & Religioni; mundo quidem oſtendentes quamvis peſſime audiat, in eo tamen inveniri bonos, qui oſtendunt ibi etiam ſaluti ſuæ conſuli poſſe; Chriſtianæ autem Religioni oſtendentes, licet torrens alios trahat, licet molles adſint pereundi occaſiones, ac aſſidua in vitium proruendi pericula, ſe tamen non ſine ope, & gratia cæleſti ſervari innoce[illegible] & fideles Deo permanere.

Concluſio.

Itaque videtis, auditores lectiſſimi, non deeſſe [illegible]tionem conciliandi Deum, & mundum, utrique redde[illegible], quod ſuum eſt, quod Dei Filius docuit dicens: *R[illegible]ite Cæſari quæ ſunt Cæſaris: & quæ Dei ſunt Deo.* [illegible]propter cum jam vobis oſtenderim felicem eſſe conſenſu[illegible] quem honeſtus homo in mundo facit, nihil eſt, quod ad[illegible]ciam, niſi dixero, quamtumlibet diſcrimen inter hæc [illegible]ncia conſtituatur, non ita facile me perſuaſum iri, illa [illegible]parari poſſe ab iis, qui in mundo & communi cum aliis [illegible]ommercio verſantur. Tandem enim ſi Chriſtianus quæda[illegible] non ſervat urbanitatis officia, ſi accuratus non eſt, atq[illegible] fidelis in obeundo munere ſtatus, & profeſſionis; nequ[illegible] Dei, neque hominum approbationem meretur; nam in h[illegible] ipſo deeſt uni ex præcipuis Religionis officiis. Sed mul[illegible] minus hunc honeſtum eſſe hominem mihi perſuadebo; [illegible]am licet exiſtimationis ſuæ cura, vel deſiderium adquirend[illegible] gloriam illum cogat quaſdam morales virtutes exercere, vel quaſdam ſervare menſuras, urgen-

gen-

gentes ſollicitationes ſuſtinere, acreſque cohibere cupiditates; at ſi deſit Religio, & religioſa conſcientia, ac Dei timor altius animo infixus, difficile erit contra tot impetus reſiſtere, nullis occaſionibus cedere, atque ut verbo me expediam, ſatis conſtanter in bono confirmatum eſſe; etenim omnes iſtæ rationes honeſtatis, urbanitatis, honoris, exiſtimationis non ſunt vincula ſatis valida ad hominem in officio continendum; cumque in Chriſtiana tantum religione inveniantur hæ conſiderationes ex Dei parte deſumptæ, ut aliquis conſtanter ſuo muneri inhæreat; ita verus tantum fidelis eſſe poteſt perfecte honeſtus homo, & qui præter gloriam, hominumque plauſum nobiliorem, atque glorioſiorem in æternitate mercedem promereatur.

SERMO UNDECIMUS.

Proprium ingenium, aut ſuperandum eſt, aut corrigendum ad hoc, ut in Mundo ſanctificemur.

AD litteram accipio, Auditores, verba Salvatoris, quibus jubet, omnes, qui chriſtianam vitam ducere velint, Evangelicisque Legibus conformem, ſeipſos vincere, & jugem mortificationem exercere. Per verbum illud *ſeipſos* intelligo id, quo a ceteris hominibus diſtinguimur, & id, quod nos cognoſcendos tradit per characteres adeo proprios, & adaptatos, ut neſciremus noſmet alios ſimulare ab iis, qui ſumus. Hæc natura noſtra eſt, hoc ingenium noſtrum, quod alii temperamentum appellant, alii morem, alii denique ſtudium, & propenſionem. Cum autem hæc natura, vel ingenium, quocumque nomine vocetur, eſt in nobiſmetipſis, per hoc noſmet cognoſcimus, & cognoſcimur ab aliis, & noſmet aliis cognoſcendos præbemus; dico hoc eſſe debere objectum zeli veri Chriſtiani, ſubjectum in quo exercere debet mortificationem ſuam, & demum in vincendis, vel corrigendis ingenii hujus defectibus conſiſtere perfectam illam ſuimet ipſius abnegationem, quam Dei Filius exigit a ſequentibus ſe: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.*

Argumentum hoc, Auditores, quod determinat Chriſtianam mortificationem, quæ per ſe adeo generalis eſt, & quod illam ad rem prorſus peculiarem coarctat, vobis, ut opinor, videbitur maximi momenti, ſi animum adverteritis Chriſtianum haberi poſſe vel tanquam peculiarem perſonam, quæ Deo ſervire cupit, vel tanquam membrum civilis ſocietatis; quoniam Chriſtiana Religio tantum abeſt, quod deſtruat ordinem politicum conditionum, variorumque mundi ſtatuum, ut illis ſe accommodet, eos probet, atque perficiat. Hodierna autem die vobis probaturus ſum, niſi noſtras imperfectiones, ac vitia correxerimus, verbo, niſi hac in re vim nobis fecerimus, nos nunquam ſolidam virtutem eſſe adepturos, & ſicuti alioquin pacem cum aliis ſervare non poſſumus, neque ſervare poſſe conſenſum, & caritatem, quæ homini Chriſtiano eſt neceſſaria.

Re igitur adhuc integra Chriſtianum conſidero in ſeipſo, & tanquam peculiarem perſonam, cui perſuaſum eſt de Chriſtianis veritatibus, de fine, propter quem in mundo eſt, & quæ per vitam frugi, ſanctamque ſibi certam facere vult beatam æternitatem. Homo ſane qui hos fovet ſenſus aſſecutus eſt Spiritum Chriſtianæ Religionis, & firmum hoc, & conſtans conſilium argumentum eſt illum aptum eſſe Regno Dei. Sed hæc adeo felix diſpoſitio, quæ non oriri poteſt niſi ex gratia peculiari cælitus immiſſa, ſatis non eſt, ut magno huic negotio ſe implicet, niſi calleat media, quibus uti debet, ut ſerio laborem aggrediatur, & unde ſit initium faciendum; & ajo, hoc ducendum eſſe ex abnegatione ſui ipſius, a vi ſibimet inferenda, & victoria de ſemet referenda. Hoc in dubium nequit revocari: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* (*Matth.* 16. 24.) Quod autem ſeriam expoſcit animadverſionem illud eſt, quod hæc ſui ipſius abnegatio, hæc vis ſibi facienda, hoc prælium inceſſanter inferendum, & victoria neceſſario referenda, reſpicit noſtrum ingenium, atque naturam; hoc primum eſt objectum, materia, & occaſio chriſtianæ mortificationis, de qua loquitur Evangelium; en argumenta. Ut vivamus ritu Chriſtiano adnitendum eſt vitia convellere, cupiditates coercere, & ingenium noſtrum earum principium ſuperare. Ad hæc ingenium hoc, & hæc animi propenſio eſt, ut vulgo dicitur infirmitas noſtra, & locus, per quem aditum aperimus quibuſcumque, qui nos in partes ſuas vellent perducere; ac tandem ingenium noſtrum paſſim maximus eſt obex, quem invenimus in exercitatione virtutis, & poſtremum veluti vallum a gratia ſuperandum, ut nos ad deditionem faciendam impellat. Intelligite quæſo robur harum probationum eo in argumento, quod vobis eſſe debet utiliſſimum.

Primum ſi in natura id, quod vos ad agendum impellit, & motuum omnium principium eſt, etiam illud eſt, quod nobis eſſe largitur: Videtur mihi, Auditores, in iis, quæ ad mores pertinent, primum organum, quo omnes facultates noſtræ moventur, & nos in bonum, vel in malum impellimur, eſſe noſtrum ingenium; quia hoc eſt illud proclive, aut illa propenſio, qua ferimur in alterutrum; & cum ratio adducit nos per hoc ſtudium, tanquam bruta, quæ nonniſi per inſtinctum agunt, non aliam habemus regulam ad judicandum, cuinam rei ſimus apti, quam videre ad quid noſtra nos ferat propenſio, & ad quid noſtra nos impellat natura. Ceterum hoc aliud eſt principium experientiæ innixum, quod licet naſcamur cum propenſione erga ſenſibilia bona, & quadam cum difficultate erga bonum, quod effectus quidam eſt noxæ originalis, non ideo caremus omnibus virtutis ſeminibus, quemadmodum veteres Philoſophi cognovere; hi ſunt inſtinctus, & ſecreta ſtudia erga ea, quæ ſunt rationi, & naturali æquitati conformia, ita ut, inquiunt, ſi divina hæc ſemina colerentur, ſuos fructus afferrent, ac tempore ſuo non mediocres virtutes proferrent. Ita Ethnici quoque locuti ſunt.

Chriſtianiſmus non procul abeſt ab eorum ſententia hac in re; tenemur enim confiteri non deeſſe felicia ingenia, in quibus gratia multo minorem invenit oppoſitionem, & validiores efficit impreſſiones. In aliquibus deprehendimus moralis virtutis primordia, quæ non tam ſero prodeunt; & in aliis adeo validam in vitium propenſionem, quam optima quævis inſtitutio vix, & ne vix quidem corrigere poteſt. Illud vero conſtans eſt, ac ſemper a nobis præſupponendum, hoc eſt, nullum eſſe ingenium, quod ſuſcipere nequeat impreſſiones vitii, atque virtutis, & ex quo percipi nequeant inſignes fructus, ſi adnitamur corrigere illius exceſſum, vel defectum; & iterum dico, in hoc ſitum eſſe debere ſtudium, & occupationem Chriſtiani, qui vult fidelis eſſe Deo, & certam facere ſalutem ſuam. Quorſum iſtud?

Quia ut modo dictum eſt, ingenium, ac natura noſtra fons eſt omnium vitiorum noſtrorum, & omnium fere criminum, quæ committimus; & in vitæ chriſtianæ praxi incipiendum eſt ab omnibus vitiis, praviſque occaſionibus convellendis: *Poſui te, ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes,* (*Iſai.* 1.) dicit Dominus per Prophetam: Convellenda ſunt arbuſta mala, quibus ager repletus eſt, antequam ibi bona, & ſalutaria conſeratur; atque ut Evangelicis verbis utar, ſecuris ad arboris radicem ferentis fructus iniquitatis ponenda eſt, ne in poſterum pravos afferat fructus.

In iram exempli gratia pronus es, quoniam es ingenio ardenti, iracundo, impatienti: nolo ad examen revocare, utrum hoc bonum ſit, quod a natura accepiſti, & utrum hoc temperamentum ſit præferendum aliis aliqua in re, tanquam aptius ad egregie facta; ſed dico, in ſingulas occaſiones, in quibus vi, atque fortitudine opus erit, ſexcentas fore, in quibus niſi ingenium hoc inhibueris vi aſſidua, omnia eſſe corrupturum, & effecturum, ut in graviſſima incidas crimina. Etenim quot contumelioſa verba, aſpera, incondita? Quot impetus ſine cauſſa, ad minimam quamlibet oppoſitionem? Quonam furore hæc erumpet iracundia in ea omnia, quæ conſiliis tuis adverſabuntur? Quanam præcipiti feſtinatione in omnibus occaſionibus eges? Heu! quot malis peperciſſes, ſi diluculo ingenium hoc tuum ſuperare conatus fuiſſes.

Videte alium ſeipſo inflatum, propriiſque meritis tumidum: hic ſuapte natura gloriæ cupidus eſt, ipſius eſt, ut quocumque pretio præ ceteris niteat. Quot inanes aſſentationes in cogitatione meritorum ſuorum! quantum thuris ſibimet adolebit ſibi plaudens ob minima facta! Quam turpibus artibus ubique ſibi ſuffragatores emendicabit! Nonne jacturam faciet eorum omnium, quæ fecerit bona per oſtentationem, & callidam vanitatem, quæ jacturæ hujus ſemper erit cauſſa? Hæc omnia evitaret ſola, ſi moderari ſtuderet adeo cæcam cupiditatem in iis, quæ ad ipſum pertinent. Alium hunc cogitate hilari ingenio præditum, ac ſolatiis indulgentem: Gaudium in facie illius ridet, ac illud quocumque præfefert; & alacre hoc ejus ingenium nonne aliquando importune ſe prodit? Et homo iſte, in cujus ore ſemper lepidum aliquod, facetumque ſchema renidet, nonne aliquando verba ſcurrilia, ac parum decora effutit? Et in hac licentia, quam ſibi vindicat obloquendi, quidquid in buccam venerit, dummodo riſum excutiat ſibi, cuilibet ne parcit amico? Nunquamne vulnerat caritatem? Nonne operæ pretium eſſet, ut oris habitum indueret magis ſerium, atque decorum, & qui minorem mentis evagationem ferret præ ſe? Sed qui oppoſito eſt prorſus ingenio, numquid minus ſibi crucem figere, ac ſemet vincere debet? Etenim cum moroſum hoc ingenium invenit ſemper, quod rebus in omnibus reponat, ſemper audientur querimoniæ, murmurationes, contradictiones in occaſione qualibet, quin loquar de animi ægritudine, qua ipſe intus laborabit; numquid melius illo ſe accommodabit, quod ingenio eſt ita in neutram partem proclivi, & nullius rei affectu teneatur, & nihil habeat in pretio? Quinam languor in aſceticis! quæ in præcipuis officiis ſuis obeundis negligentia! Quot omiſſionum ſe reum præbebit in negotiis maximi momenti! Non moror diutius in inductionibus, quas quilibet aliis facilius applicare poſſet, quam ſibi. Dico ſolum, ſi noſtrum ingenium eſt fons vitiorum noſtrorum, teneri, quicumque velit, vitæ rationem mutare, & ducere ſanctiorem, ac magis frugi; initium ducere a ſuimet ipſius victoria, vel correctione; alioquin ſi hoc deſit, ab eo nullam ſolidam pietatem, nullum in virtute progreſſum eſſe expectandum.

Neque ſatis eſt, quod ingenium noſtrum ſit omnium vitiorum vitæ noſtræ principium; dici enim ſecundo loco poteſt, hoc ipſum ingenium, quod in nos tantum roboris habet, & quemdam habet neceſſarium influxum in omnem vitæ noſtræ rationem, ſimul eſſe partem infirmiſſimam ac minus propugnatam, qua dæmon, omneſque ſalutis noſtræ inimici faci-

cilius inveniunt aditum in cor noſtrum, ac minimo niſu nos vincere poſſunt, niſi ea in parte propugnacula ædificemus. Infirmitas hæc ſtatim incurrit in oculos uti noſtis, eamque diu diſſimulare non licet iis, qui nos propius inſpexerint. Illac, qui aliquid obtinere nituntur ab aliquo, clam in animam irrepunt illius, illum circumagunt ad libitum, in rem ſuam pertrahunt; & tandem, quod optant conſequuntur. Igitur per eam partem nos adoritur dæmon, ac tentat; invenit in nobis arma, quibus nobis bellum inferre conſuevit, noſtris uſus contra nos tanquam exercitus imperator, qui antequam urbem obſidione circumdet, reſpicit & ad examen revocat locum, ubi muros facilius dejiciat; quem ubi cognovit, illum pulſat inceſſanter, ac tandem oppugnat, expugnatque. Hinc ergo conjicite, Auditores, quanti momenti ſit ſemet ea in parte communire, ſtudere, & cognoſcere noſmetipſos ingenium noſtrum, ac ſemper nobis cavere, ne per noſtram infirmitatem ſuperemur, ſed tutiſſima cautio habenda eſt, ut noſmet laboremus ad illam ſuperandam, antequam contra nos convaleſcat, & nos voti rei fieri non poſſimus citra manifeſtum gratiæ miraculum.

Adeo ſalutaris conſilii praxis, non diffiteor, eſt ardua; multo ſtat pretio ſeipſum vincere; ad id enim præliandum eſt contra noſmet, abrenuntiandum ſtudiis, & cupiditatibus noſtris, abſtinendum ab iis, quæ nos palpant, ac præ ceteris nobis placent; reſiſtendum eſt tandem naturæ, quæ violenter nos rapit; ſed victoria ſemel relata deinceps pluribus parcit certaminibus, viam aperit breviorem, & longius noſtra oſtendit trophæa. Habitus, qui altera vocatur natura, ſenſim, & ſine ſenſu prioris locum occupat, & poſt inſignem tonatum, opus non eſt niſi modica fortitudine; atque conſtantia. Quis labor eſt re adhuc integra aſſueſcere moribus regionis alicujus, in qua nunquam fuimus? Tamen poſt aliquod tempus conſueſcimus. Nonne quamlibet vivendi conſuetudinem abjicimus oppoſitam amplectentes? Nonne quotidie videmus homines, qui ut ita dicam, gradum faciunt ab uno ad extremum alterum, de ſocietatibus ad ſolitudinem, de impedimentis negotiorum ad quietis dulcedinem, de vita tumultuoſa ad tranquilliorem? Si natura aſſueſcit, cur ingenium, quod in naturali temperamento ſitum eſt, non ſe accommodet? Sunt quædam tempora, atque ætates, quibus vix audire quidem poſſumus verba fieri de iis, quæ olim nobis perjucunda erant; & alia tantum ſufficit ætas, vel occaſio ut abhorreamus ab iis, quæ nobis erant in deliciis. Quis ergo prohibere poteſt ne ingenium noſtrum flectamus, vel corrigamus, ſi parum attentionis, ac vigilantiæ adhibeamus ut de nobiſmet victoriam referamus? Bonus habitus intra tempus aliquod evertet, quod malus conſtituit, & naturam, atque ingenium mutabimus, cum gratia, & virtus fient norma vitæ, & actionum noſtrarum. Sed ad id diluculo incumbendum eſt; nam quemadmodum facilius diſcitur malum, quam bonum, & vitium accedente naturæ noſtræ corruptione roboratur, & convaleſcit; periculum eſt, ut in dies dilata illius ſuperandi difficultate, prout differtur, magis magiſque augeatur.

Hinc tertiam elicio rationem, quæ nos ſerio ad id incumbere cogit; videlicet vim eſſe a nobis inferendam extremo amoris proprii propugnaculo, ſi pervenire cupimus ad felicem hanc noſtrummet ipſorum abnegationem adeo chriſtianæ vitæ neceſſariam: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Plerumque ignoramus aſtus, & dolos hujus amoris proprii; ſcimus tamen illum quæri, & inveniri ubique, & hunc illum eſſe ex hoſtibus noſtris, qui poſtremo cedit, & poſt aliorum cladem viget adhuc. Ad illum autem detegendum, & irritas efficiendas artes illius, & auferenda quæcumque arma, vel perfugium, velum auferte, quo tegitur; veſtrum ſcrutamini ingenium, veſtramque naturam, & evertite poſtremum hoc perfugium, ubi latet, & per hoc illam quam cupitis de vobiſmet victoriam, aſſequimini; nam proprie loquendo, ſeipſum amare eſt, operari ex animi libidine, & ſuam dumtaxat naturam ſequi. Hinc oritur, hoc illud eſſe, quod optima quæque facta noſtra corrumpit; quod facit, ut jacturam patiamur omnium meritorum noſtrorum, ac privat nos remuneratione, quam in Cælo expectamus; ita ut niſi hinc duxerimus initium, nunquam acturi ſimus, ut decet Chriſtianos, nunquam facturi ſimus actionem ſupernaturalem, nihil lucraturi ad æternitatem; quia nonniſi per naturæ motum, non autem per gratiæ inſpirationem operabimur. Sed quid dico, vix agemus, ut homines decet: quoniam minime ſecuti rationem pro vitæ norma, nihil diſtabimus a brutis, quibus non alius dux eſt, niſi naturalis inſtinctus. Nonne de hoc paſſim plerique mortalium conqueruntur? Hic, ajunt, juxta ingenium ſuum deſumendus eſt; tempus ſuum captandum eſt, & quærenda commoda fandi tempora. Latet, utrum eo futurus ſit ingenio, ut nobis aurem adhibeat, ut æquas aures commodet, vel hunc, illumve favorem permittat; hoc pendet ab ingenio, quo tunc eſt, cum ad ipſum acceditur. Si hoc autem non eſt agere, ut hominem decet, qui rationem ſequi debet; numquid Chriſtiano more operabitur, ſi officium obierit ſuum ex libidine, orationem fuderit per ſcurrilitatem, atque ut me expediam verbo, ſuum habuerit ingenium, pro norma omnium actionum? Igitur quam maxime intereſt ad Chriſtianam vitam ducendam initium facere ab ingenii noſtri imperio excutiendo: ſed illud officio noſtro ſubjiciendo, & ſubigendo, ubi a Dei lege rebellat; ubi obedientiam detrectaverit, corrigendo, reformando, & vincendo; ubi prorſus adverſetur, ac nitatur in oppoſitum.

Serio ad id animum auditores advertite; neſcitis fortaſſe, quomodo, vel unde vobis incipiendum ſit, ut Chriſtianam vitam vivatis. Incipite quæſo ſubigendo, vel corrigendo indocile ingenium, quod flecti nullatenus poteſt. Profecto illud omnino mutare non licet; itaque non videmus Filium Dei hoc propoſuiſſe S. Paulo, quem ad famulatum ſuum vocaverat vocatione adeo inſigni, ac inſolita; ſed vobis quoque, ut illi adnitendum eſt, ut illud ſubjiciatis, ſubigatis, eodemque ad majorem Domini gloriam utamini. Hæc fortitudo exempli gratia, quam jactatis, & quæ ardentis ingenii effectus eſt, eniteat ſuperando obices, qui illius ſervituti, & cultui adverſantur; ingenium hoc adeo facile, & humanum, ſit ratio, qua vobiſmet captivetis omnes, eoſque ad virtutis amorem feratis. Moroſum illud ingenium ſeſe cohibeat, neque erumpat, niſi in vitia propria. Omnes aſſueſcite, ut omnibus in occaſionibus voſmetipſos vincatis, ubi noſtis pravum ingenium veſtrum ſolere exardeſcere, & plurima parere mala. Quidquid effeceritis, & quidquid extrinſecus aggreſſi fueritis, antequam de vobiſmet victoriam referatis, vobis parum proderit; Relinquetis arboris truncum, atque radices, donec in aliquot ramis ſuccidendis immorabimini, qui vobis ſupervacanei videntur, & æquo latius extendi. Denique edomantes, & ingenium noſtrum corrigentes noſmet abnegamus; Domini jugum geſtamus; quia hoc jugum neque oneroſum eſt, neque difficile, quod geratur, niſi noſtrum repugnet ingenium, & ſi abſit difficultas, quam experimur ſatagentes, ut Dei legibus præceptiſque obſequatur. Fortiter ergo domeſticum hunc hoſtem impugnemus, & ſi integram perfectamque de nobis victoriam referre cupimus, corrigamus naturam hanc, quæ fons eſt omnium criminum, & locus, quo anſam præbemus hoſti, ut nobis officiat. Subigamus tandem naturam hanc ita rebellem Legi Dei, & motibus gratiæ: hinc enim incipimus ſanctiorem vitam ducere perfecta noſtrummet ipſorum abnegatione, ſine qua obire non poſſumus non ſolum Chriſtiani hominis officia quatenus privati, ut hactenus vidimus, ſed quatenus membri corporis politici, familiæ, vel ſocietatis alicujus, quæcumque illa ſit, ubi non poterit unquam dare, vel excipere oblectationem aliquam, niſi plurimum lucrum receperit de ingenio ſuo, & niſi, hoc in ſenſu plurimis in occaſionibus ſeipſum abnegaverit.

Ut hac de re vobis omnino ſit perſuaſum, ſupponendum eſt, urbes, familias, atque reſpublicas non aliud eſſe, quam congeriem perſonarum, varias artes profitentium, ſibimet mutuo commercio conjunctarum & a ſemet ultro citroque pendentium, quæ hunc politicum mundum ſuſtinent; alioquin enim minime ſubſiſtere poſſent. Hac de cauſſa divina Providentia, quæ in Mundi ordine refulget, non minus admirabilis eſt, eo quod varia hominibus ingenia tradiderit, ut civilis hæc ita floreret, quam ordinem ſervare naturæ per conſenſum elementorum, quorum qualitates, & effectus adeo diſcrepant inter ſe. Etenim quis non videt ſimul, quemadmodum mundus non poſſet ſubſiſtere, ſi partes illum componentes, ſeſe conſociando per mixtionem ſuam infirmarentur, & amitterent quælibet ex ſe aliquid virium, atque actuoſitatis; ita nullam congregationem, nullam ſocietatem, nullam familiam, nullam communitatem pacem tueri, ac neceſſarium ſervare conſenſum poſſe niſi quilibet ſingillatim corrigeret ingenium ſuum, videlicet non moderaretur, quod nimis vividum, & ardens eſt, niſi excitaret, & inflammaret, quod nimis ignavum, & languidum eſt, & niſi quilibet naturalibus affectionibus ſuis vim faceret, pro communi bono pacis, quæ non aliud eſt, niſi effectus ordinis, & conſenſus rerum, quæ viciſſim poſſent allidi. II. PARS.

Adjicite, cum Chriſtianiſmus non aliud ſit, quam perſonarum ſimul conjunctarum ſocietas vinculo arctiori, & officiis, quæ magis inevitabilia ſunt; qualia ſunt Religionis officia; adjicit etiam peculiarem neceſſitatem reformandi vitia, quæ in natura noſtra, noſtroque ingenio inveniuntur. Noſtis jam quænam ſint Chriſtifidelium officia, ubi agitur de caritate, & conſenſu, & quomodo Salvatori hominum cordi fuerit, quandoquidem lex Evangelica in hoc argumento tota verſari videtur. Denique ignorare non poteſtis, præter civilem ſocietatem, quæ ſervat urbes, & familias, & præter illam Religionis ejuſdem, quæ efficit, ut accedamus in partem eorumdem myſteriorum, & Sacramentorum, non deeſſe cœtus, qui conſtituunt hæc diverſa corpora, ad eumdem finem, eamdemque profeſſionem conjuncta. Id genus ſunt Eccleſiaſticæ, & ſæculares Communitates; mortales, qui ratione munerum, officiorum, vel vocationis ſuæ ſimul tenentur vivere, & alii qui crebro converſari debent, ut de iiſdem agant negotiis, & aliqui denique, qui pro communi utilitate ſocietatem ſimul inire debent; & ajo, niſi ſuo ſæpe vim faciant ingenio, & alieno ſe accommodent, has omnes ſocietates, niſi pro communi bono conjunctæ ſint, ex tot inimicis conflatum iri, qui ſemet invicem ſuſtinere non poſſunt; & niſi vitam ducant, ut vos decet Chriſtianos, ne victuros quidem, ut decet rationabiles viros, & tandem ſicuti nemo ſeorſim erit aliis contentus, ita ne ab aliis quidem ullam voluptatem percepturum.

Hoc certiſſime continget, ſi quilibet pro modulo ſuo vivere voluerit, ſuumque ingenium ſequi poſthabita aliorum cura. Primum enim quanquam illi qui hos hominum cœtus, compo-

componunt, omnes eodem eſſent ingenio, juges adhuc inter illos orirentur lites, cum ſinguli habere vellent bonum, quod dividi non poſſet, ſemper aliqua occurreret de ordine concertatio, quemadmodum videmus duos avaros conſentire non poſſe; quemadmodum duo ambitioſi in quavis occaſione ſecum præliantur, & qui ad idem bonum anhelant condidati vulgo infenſiſſimi fiunt inimici. Quod ſi econtra ſocietas hæc conflata eſt ex variis ingeniis, quod paſſim uſuvenit; ſi hæc ingenia fuerint antipathica, ut fit, ſi mortales fuerint diverſarum regionum, atque nationum, quæ ſimul conciliari non poſſunt, ut nonnumquam accidit, ſi unuſquiſque vult alios ſuo ingenio parere, ſi nemo ſuo vim inferri patitur, ſi in hac ingeniorum varietate nemo alium ſibi obſiſtere velit, immo velit, ut alii ſuæ obſequantur ſententiæ, vel ſtudio: quænam hæc erit ſocietas, quæ vita? Nunquid ſocietas erit rationabilium, an Babylonis confuſio? Cum ſinguli vario ſermone loquentur, varia eorum erunt conſilia; omnes agent ob varios fines, omnes ſuæ parebunt libidini.

Sed quo pacto pax ibi ſervabitur? quo diſſenſio evitabitur, lites, partes, convicia proſcribentur? nonne caritas, & conſenſus extorres erunt? quid ultra videbitur præter erumpentes ſciſſuras, ſine ſpe conciliationis, quæ ſit duratura? Malum hoc, & hæc rerum omnium perturbatio evitari non poteſt, niſi quilibet refringat in natura ſua, quod perturbare poteſt aliorum pacem, & excitare turbas, atque contradictiones. Nonne hoc florentiſſimas evertit reſpublicas? Nonne hinc initium duxit rerum perturbatio? Nonne hoc peperit ſeditiones, & conjurationes? Nonne hic fons eſt omnium ſeceſſionum, quæ tandem omnia ſubverterunt? Dico etiam præterea licet in uno corpore, vel cœtu unus tantum adeſſet ingenii imperioſi, difficilis, quod nulla in re ſibi vim facere, & nihil pati poſſit, rerum experientiam oſtendere, hunc non poſſe cum aliis conciliari, neque alios illi. Hinc alter eſt Iſmael, cui omnes alii ferendi non ſunt, & qui viciſſim ferendus eſt nemini. Sed eadem experientia nonne pariter docet, ſicut ille pacem aliorum perturbat, ipſum quoque nunquam guſtare pacis dulcedinem? Et ſi unus hujuſmodi ingenii vir ſatis eſt ad familiæ totius requiem perturbandam, nonne ſatis perſuaſum eſt, illum nunquam fruiturum requie? conſtans enim eſt veritas, illi quicumque aliis negotium faceſſit, nunquam deeſſe plures, qui & illi faceſſant, atque contentam ducant vitam; adnitendum eſſe, ut aliquid conferat ſatisfactioni eorum, cum quibus verſatur. Quomodo vero quidquam conferre poteſt, quin vim ſibi inferat, naturamque ſuam omnibus accommodet, quantum ratio, & conſcientia patiuntur?

Profecto cum hæc una tantum haberetur cogitatio, nos aliis graves eſſe, non hæc quidem ſufficeret, ut ſaltem aliquam nobiſmet vim faceremus? Homo hic, exempli gratia, formularum exactor moleſtus eſt, vitiligator moroſus; quænam crux illis, quibus cum illo vivendum eſt, ſibi præcavere & ad trutinam vocare ſingularia verba, quæ coram ipſo dicuntur? patientia tandem fatigabitur, & ad libertatem tuendam, vel fugiendum erit, vel ſemper cum illo de re aliqua concertandum. En alium, qui ſe magiſtrum, atque mundi potius cenſorem jactat, qui improbat quidquid abhorret a ſenſu illius, & cum ſemel aliqua de re tulerit ſententiam, hæc habenda eſt tanquam judicium, a quo provocare non licet. Si quis enim provocare ſtuduerit, idem eſt ac ſibi infeſtiſſimum hoſtem comparare. Cum hujus ingenii homine evitari ne jurgia poſſunt? Alius hic irriſor eſt, atque rerum omnium contemptor, vertens in jocum quidquid ſibi dicitur. Eſt ex eorum numero, quos S. Bernardus vocat peſtes communitatum, & civilis ſocietatis inimicos. Fieri nequit, ut homo hic minime ſentiat negotium, quod faceſſit aliis, & nos etiam ſibi, quod habeatur tanquam incommodus, & importunus, & quod omnibus crucem figat, & ſit objectum horroris, & odii omnibus illis, quibus cum illo agendum eſt. Igitur quemadmodum vita communis, quam ducere tenemur, ſit vita ſociabilis, atque commercii cum aliis, ſi alter non flectit ingenium ſuum impatiens, ac furens; ſi alter non ſubigit ambitioſam naturam ſuam; ſi hic nihil de ſua ſuperbia remittit, ſi ille non præbet ſe indulgentiorem, & faciliorem; ſi denique vim ſibi non infert, & ingenium ſuum non reformat; nullus illi modus ſupererit, quo nobiſcum utatur, niſi evitare velit omnem cum nobis neceſſitudinem. Tandem quippe, ut S. Franciſcus Saleſius inquit, qui adeo mirifice exercuit conſilium, quod tribuit, omnibus omnia ſeſe faciendi, quænam hæc neceſſitas eſt aliis impetus veſtros perferendi, contemptum veſtrum, cenſuras, animi veſtri inconſtantiam, libidinem veſtram? Quis hoc vobis contulit jus imperii, atque ſuperioritatis in illos? Hi quidem per caritatem vos ſubſtinebunt, ad quam ſanctus Paulus illos hortatur; ſed vos lex inevitabilis jubet illi non præbere anſam, ut hoc agat. Membra propter corpus facta ſunt, & pars pro toto. Quid ergo æquius eſt; utrum reliqui omnes ſeſe tibi accommodent, an tu omnibus?

Deinde ſicuti civiles ſocietates, quæ componunt civitates, atque reſpublicas, non ſolum ſunt cœtus mortalium, qui ſimul ineunt commercium cum aliis, ſed etiam qui iiſdem legibus ſubjecti, quæ pro ditionis alicujus regimine conſtitutæ ſunt; ſicuti in pleriſque civitatibus ſunt corpora, & communitates, quæ vigere nequeunt ſine regulis, ſtatutis, vel quibuſdam obſervantiis, quæ communes ſunt omnibus illas conſtituentibus, quis non videt; niſi plurimis in occaſionibus ſuopte ingenio vim inferant, æque eſſe impoſſibile ſtatus ſui munera obire, ac pacem ſervare cum iis, qui iiſdem tenentur officiis? Ratio patet. Quocumque noſtrum geſtamus ingenium: ingredimur in ſocietatem; primum quidem, vim nobis facimus, fateor; aliquando etiam diſſimulamus, ne tædio afficiamus eos, ad quos id pertinere poteſt: ſed cum quidquid violentum eſt, non diu ſit durabile, redimus brevi ad ingenium & intra modicum tempus natura noſtra ſe prodit, ideoque alii non diu nos patientur. Hinc fit nullum eſſe corpus vel communitatem, ubi non habeatur diligens perquiſitio morum eorum, qui in illam ingredi poſtulant, antequam admittantur. Ideo in familia antequam contrahatur cum aliquo affinitas, primum accurate quæritur, quo ſit ingenio; & in Religioſis ſocietatibus tempus ſtatutum eſt, ad periculum faciendum eorum, qui recipiuntur, antequam patiantur, ut tyrones ſeſe ſollemnibus votis adſtringant. Cui bono, quæſo, omnes hæ perquiſitiones, curæ, probationes? Heu! Satis ſuperque liquet, quot inde contingere poſſunt mala. In pace vivitur cum illis, qui ſuavi ſunt ingenio; præclara fovetur ſpes, ubi præclara indoles nitet; omnia nobis pollicemur ab eo, qui humano eſt ingenio, officioſo, in bonum proclivi; omnia econtra metuimus ab eo, cui indocile ingenium eſt, ac furens.

Ad hæc quemadmodum in urbibus, & rebuſpublicis ſunt Leges, Statuta in Corporibus, & cœtibus, Conſtitutiones, & Regulæ in Ordinibus Regularibus: hæ leges, hæ Regulæ, hæc Statuta ſæpe crucem figunt ingenio noſtro, & libertatem auferunt faciendi plura, ad quæ noſtrum ingenium eſt proclive. Negligere autem de ingenio noſtro victoriam, nonne eſt noſmet objicere violandis legibus omnibus, cum civilibus tum Eccleſiaſticis, cum generalibus, tum particularibus? Cum illis, quæ nobis communes ſunt cum omnibus hominibus? cum illis, quæ propriæ ſunt ſtatus noſtri, ac noſtræ profeſſionis? Nos ultro amamus noſtram libertatem, & Dei, vel hominum timor, vel communis utilitatis ratio nos cogunt, ut alienæ voluptati obſequamur. Si ergo non laboramus acriter, ut vincamus, vel captivemus ingenium noſtrum, quod omnibus adverſatur, hoc profecto nos ad jugum excutiendum impellet, & ad fallendam eorum vigilantiam, qui vitæ noſtræ invigilant, ut in libertate vivamus, & penes nos ſit actionum noſtrarum arbitrium. Accedit his, quod negligere ingenii noſtri reformationem, ac victoriam, eſt ſeſe imparem efficere cuicumque muneri obeundo, ac obtinendo cuipiam loco in vita civili & in corpore quolibet; hic enim ſtatus eſt, ad quem redacti ſunt illi, qui nequeunt, vel potius nolunt ulla in re vim ſibi inferre. Re enim vera noſtris in civitatibus, rebuſque publicis; & in Communitatibus varia adeſſe munera, publicas, ac domeſticas actiones, quemlibet illis occupatum eſſe debere pro viribus ſuis, ingenio, captuque. Ad hunc etiam ordinem ſervandum Deus aliter, aliterque diſtribuit talenta, dona naturalia, & ſupernaturalia omnibus hominibus, qua in varietate illius Providentia eluceſcit; etenim per hoc omnibus vitæ hujus neceſſitatibus conſulit. Verum eſt, ingenium, atque naturam haud minimam ſibi vendicare partem in electione profeſſionis, quam quiſque eligit ſibi, & Deum ipſum ſuas aptare gratias, cum nos vocat: verum cum omne munus exigat curam, ſtudium, diligentiam, ut ſuſcepta vitæ ratio bene vertat, & ibi Deo ſerviatur, cum ſervitur omnibus, niſi pluribus in rebus vis inferatur huic eidem ingenio, affirmo nihil unquam, ut opus eſt, obiri poſſe; neminem quod pertinet ad tempus fore regularem, & in omnibus ſuis uniformem, vel accuratum in iis, in quibus maxima cura eſt impendenda, quia agens ex ingenii ſui libidine, non aliam ſequetur normam, quam arbitrium ſuum, indulgebit quieti, vel ſolatio laboris tempore, & urgentiſſima negotia negligentur, cum nos ſtudia noſtra alio vocabunt. Eſto quidem Judex magnis ſit præditus qualitatibus, ad eam provinciam procurandam, quæ ſibi fuit demandata; polleat ſcientia, integritate, perſpicacia; ſed ſi eo fuerit ingenio, ut ſolatiis operam dare velit, ſi ſemet captivare non poteſt, ſi laborem odit, quomodonam ſua majoris momenti adimplebit officia? Juſtitia nonne ab ejuſdem ingenio pendebit?

Quodnam feretis judicium de Opifice, qui moroſo eſt ingenio? Quam impatientiam, atque ægritudinem non ciebit ille in illis, qui illius opera utentur, vel qui illum conduxerint? Vel quis ſibi aliquid promittere poteſt regulare, & perfectum ab eo, qui nonniſi ex animi arbitrio operatur? Da mihi hominem, qui in mercatura exercenda ſuum tantummodo conſulit ingenium. Quot ſibi præclaras occaſiones elabi ſinet? Quot importune faciet? Percurrite omnes conditiones, ſtatus, profeſſiones omnes. Nunquid ſatisfacere poſſumus officiis, quæ nobis adhærent, quin nobis vim faciamus, quin noſmet torqueamus, nobiſque crucem inferamus? Nam quantumvis munus aliquod ſit ingenio noſtro conforme, plurimæ occaſiones incidunt, quæ vigilantiam, & curam, laborem, atque ſolertiam inquirunt, quia ſunt eidem oppoſitæ. Quamobrem vobis vivendum eſt, ut decet Chriſtianos, quocumque in ſtatu ſitis, quodcumque munus amplexi fueritis; & hoc primum eſt officium veſtrum, & potiſſima veſtra obligatio; licet fortaſſe illud ſit magis oppoſitum ingenio veſtro; inceſſanter operam navate, ut illud vincatis, & corrigatis, ſi exceſſu peccat, & ex hoc temporis articulo incipite exercere hanc

veſtri

veſtri abnegationem, ut tanti momenti officio hoc perfungamini; ſive voſmet cogitetis tanquam privatos, qui ſaluti ſuæ cooperari tenentur, ſive tanquam membra corporis alicujus, ubi voſmet ſanctificare debetis per veſtram abnegationem, quæ ſumma eſt Chriſtianæ mortificationi; etenim reliquæ ad hujus adquiſitionem conducunt, & ſine hac vobis parum proderunt.

CONCLUSIO. Fruſtra dicitis, Auditores, præclarum eſse Dei donum, dives ingenium, cujus omnia ſtudia feruntur in bonum. Hoc ſemper eſt perficiendum, dirigendum, attollendum ad ampliora, ut fiat inſtrumentum virtutis; qui in re illi, quos natura non adeo exornavit hac in re, jacturam ſarcire tenentur, quia poſsunt per virtutem adipiſci, quod illis natura negavit, immo etiam fieri Sanctiores, referendo de ſemetipſis nobiliora trophæa, & perfectiorem exercendo abnegationem; Deus enim noſtros in perfectione progreſsus numerat ex iis conatibus, quibus nobiſmet vim facimus: *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris*, ut ait Auctor de Imitatione Chriſti Jeſu. Eſto quidem non mediocre ſit bonum, ad virtutem proclivem eſse, & bonum operari ſine labore, ac renitentia. Duo hæc ingeniorum genera tranquillo comparari poſſunt fluvio, qui ſecutus naturale declivium, ſuaviter defluit ſine ſtrepitu, ſine obice; cum econtra illi, qui labore, ac ſtudio virtutem adepti ſunt, ſimiles ſunt fontibus concluſis, ubi ars vim facit naturæ; longius magnis ſumptibus deducuntur; multo pretio ſervantur, & ſæpe accidit, ut poſtquam aquæ ſublatæ fuerint atque altius ſalierint, ad minimum uſque obicem ſubſidant.

Tandem enim proprie loquendo, ad bonum apte natura ferri non ita magnum eſt meritum. Naſcimur cum natura, & ſtudiis illis, quæ nobis injicere placet Deo; ſed nullum habemus jus, vel ſpem ad æternam felicitatem nobis adquirendam, niſi ex eo momento, quo ingenium noſtrum incipimus ſuperare, omneſque conatus noſtros exerere, ut flectamus illud in bonum: ita ut, quod ars efficit in brutis, virtus in hominibus facere debeat. De illis facimus quidquid fere volumus, illa dirigendo; hi autem informantur ad ea omnia, quæ ab illis exigit Deus per curam ſeipſos vincendi. Noſtrum eſt ad examen vocare, quænam ſtudia ſequi debeamus, & quæ nobis ſint corrigenda. Cogitemus præcipuam, & maxime neceſsariam chriſtianæ morum diſciplinæ veritatem, veramque viam, quæ in Cælum ducit eſse noſtrummet abnegationem, & per hanc peculiariter intelligendam eſse vim, quæ propriis ſtudiis, ac ingenio ſuo quilibet infert; ac tandem illis tantum, qui ſtrenue pugnaverint, Deum polliceri, ac ſervare coronam gloriæ in beata æternitate.

SERMO DUODECIMUS.

Pauci Sancti ſunt, & Salvantur, quia pauci operam dant Saluti, & Sanctificationi ſuæ

NAturale deſiderium, & in penitiori cordis noſtri parte impreſſum, eſſe velle beatos, ad id omnes referuntur cogitationes noſtræ; huc omnia tendunt noſtra conſilia; hanc in finem omnes actiones noſtræ collimant, tunc etiam cum per ſcelera noſtra quam longiſſime inde recedimus. Sed mirum eſt videre, quantum deſiderium hoc generale eſt, & altius impreſſum in omnium mortalium corde, tantum paucos eſſe, qui viam ſequantur quæ ad veram felicitatem indipiſcendam adducit; & ut rite loquamur juxta moralis Chriſtianæ principia quid ſit in cauſsa, propterquam adeo pauci re ipſa ſalvi fiant, & operam navent, ut ſemetipſos ſanctificent, licet omnes homines in hoc mundo ſint poſiti, ad finem hunc ſecundum Oraculum Evangelicum, ut finem hunc aſſequantur. *Multi vocati, pauci vero electi.*

Qua in re ad evitandum quidquid in quæſtione hac videtur inutile, verba facio de Chriſtianis tantum, quin de infidelibus loquar, quorum numerus toto Cælo major eſt; immo etiam de ſolis Chriſtianis adultis, exceptis pueris, qui ſacro regenerati baptiſmate ante rationis uſum moriuntur; & aſſero, quidquid nonnulli ſentiant Doctores; ſcio enim, non unam hac in re omnium eſſe ſententiam, & inter Aſceticos quæſtionem hanc agitari, aſſero inquam, paucos eſſe, qui ſalvi fiunt, ſi conferantur cum terribili eorum multitudine, qui in nullam reditus ſpem intereunt in Chriſtianiſmo, cum tot mediis, & ſubſidiis, quæ ipſis ad ſalutem operandam ſuppetunt. Duas præcipuas rationes aſſero, quæ eo validiores mihi videntur, quo minus ſtudio quæſitæ ſunt, & quæ rudium etiam oculis patent. Pauci ſalvi fiunt, quia pauci ſerio cogitant de ſalutis ſuæ negotio: hæc prior eſt; Secunda vero, pauci ſalvi fiunt, quia pauci volunt, ut debent, ſeſe ſanctificare.

I. PARS. Pro primo hujus veritatis argumento dico paucos ſalvos eſſe, quia pauci ſunt qui ſerio cogitent de ſalute ſua, quandoquidem ex prophetæ ſententia, hæc origo eſt, & principium malorum hominum: *Deſolatione deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde.* Nemo ſe colligit, ut ſerio meditetur, qua de cauſſa in mundo ſit, & quinam ſit finis, qui unice illi ob oculos verſari debet, ſuimet ipſius videlicet ſanctificatio. Ut hæc ratio in lucem afferatur, & latius paullo extendatur, dico primum Auditores, negotium hoc maximum proculdubio eſſe, & maxime neceſſarium; quoniam hic eſt extremus finis noſter, ad quem propterea ceteri ſunt referendi, & in aliis quoque rebus videmus finem eſſe illum, qui motum tribuit creatis quibuſcumque rebus, ac taliter primam eſſe cauſſarum omnium, ut ſine illa nihil agere, aut vigere poſſit. Si igitur e contra hoc eſt negotium præ ceteris maxime neglectum, in quo homines minimum ſuarum curarum impendunt, & ut verbo me expediam illud de quo ne cogitatur quidem, nunquid aliis ſubtilioribus opus eſt argumentis, ut inferamus, paucos igitur eſſe, qui finem hunc aſſequuntur?

Itaque ut vos perſuaderem, cuperem ſolum vos adducere poſſe in cacumen montis illius, quo olim S. Cyprianus invitabat Donatum familiariſſimum ſuum, ut inde per otium contemplaretur curas, ſtrepitum, ac mundi impedimenta, atque conſideraret homines, qui feſtinant, qui ſeſe angunt, ac alii alios viciſſim urgent, atque impediunt in tumultuoſis negotiorum occupationibus; libenter enim vobis ob oculos ſtatuerem omnes ſtatus, & conditiones; ibique videretis ſublatos ad inſignes fortunæ gradus, alios incredibili feſtinatione ad eos pervenire cupientes; alios denique, qui in populi turba premuntur; & rite conſideratis motibus, quibus ſeipſos torquent, illorum inceſſu, geſtu, totoque corporis habitu, a vobis ſciſcitarer, ad quid veſtra ſententia tendat hæc multitudo curarum, & hic æſtus cogitationum? Quo ſpectent iſta omnia conſilia ſæpe ſecum pugnantia? Nunquid ad magnum, magnique momenti noſtræ ſalutis negotium? Nonne dicere poſſem de noſtro hoc, omnibuſque ſæculis, quod de ſuo David: *Deus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* (*Pſalm.* 32.) Conjecit Deus aciem oculorum ſuorum in terram univerſam viſurus, utrum in tanta mortalium turba in tot ſtatus, & conditiones diſpertita, aliquem inveniret, qui veram haberet rerum intelligentiam, & qui ſedulo operam daret negotio illi propter quod unum in mundo verſatur, & quot id genus invenit? *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum;* Mirum eſt, ait ille, omnes in aliud intentos eſse, quaſi hoc non eſſet negotium; otiantur enim; nihil agunt, quod illis ſit profuturum; ita ut in millibus ſinguli vix inveniantur, qui hoc cogitent; & de hoc ſolliciti ſint.

Illud autem quod Prophetæ hujus tempore accidebat, modo etiam in hoc noſtro accidit; mundus enim præter propter ſimili pacto circumactus eſt, quoad ſpectat ad hominum mores, ac ſtudia; etenim, quæſo interrogate hominem hunc, quem triſtem, atque cogitabundum videtis, quæ res illum mœrore conficiat, & cur ita turbetur? Heu! inquiet, doleo, & jure doleo, negotiis periculoſis implicitus ſum, neque quo inde pacto, me explicem video: res ſi intus & in cute eſſet tibi explorata, videres me jure anxium, atque ſollicitum eſse. Alterum vero, quem adire video de domo ad forum, & de foro domum redeuntem, quænam agitat cura? Ait intra paucos dies ſibi in judicium prodeundum eſſe, ubi de omnibus fere bonis agitur, & incertum ſe eſſe, quomodo ceſsura ſit res: verum ſi cauſsa victus deceſserit, ſe omnino periiſse. Alium interrogemus, & ex eo quæramus, quod ſæpe noctu ſomnum ejus interpellat, & quod interdiu ei negotium faceſsat: obſtrictus ſum, inquiet, ære alieno: urget fenerator, & neſcio unde mutuer, & ne unum quidem temporis momentum differre poſsum ſolutionem. Sed quid hæc ſunt omnia? Temporalia negotia in quibus de fortunæ bonis, de negotiis ad vitam hanc pertinentibus agitur; ſed quiſnam in hac Mundi hujus turba cogitat, uti opus eſt de ſanctificatione ſua, vel quotuſquiſque hanc in numero curarum ſuarum recenſet? Heu! quamprimum alia dijudicanda eſt cauſſa, ubi de noſtra agitur æternitate, & ne cogitatis quidem? Heu! Debitores eſtis Deo tot gratiarum, quas contempſiſtis, & tot beneficiorum, quæ recepiſtis; tot vobis reddendæ ſunt rationes, & hac in re oſcitamini? Heu! quam primum futurus es vel beatus, vel in æternum miſer; & hæc, ut inquis, permittis Deo, in cujus manu ſunt omnia. Itane; veruntamen Deus non agit ſolus in hac re; oportet ut illius conſiliis, & tentationibus obſequare. Unde oritur, ut tam parum ſollicitus ſis in tanto negotio? Nam fatere; inde, quod negotium hoc nullo tibi eſt in diſcrimine, vel parum te afficit, dum alia ad opes terrenas ſpectantia te omnino ſollicitum agunt.

Tamen cuinam hoc majus negotium faceſſere oportet, quam vobis; cujus hoc magis intereſt, quam veſtra? Heu! *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*, (*Ad Philipp.* 2.) Apoſtolus inquit; cogitate de ſalutis veſtræ negotio cum cura, ſollicitudine, ſed hoc parum eſt *cum metu*, nec hic quidem ſatis; *cum tremore*. Sanctus hic Apoſtolus ſignificat nos ſibi terroribus agitandos eſſe, ac nobis in Dei bonitate non audacter eſſe confidendum. Nunquid ero ex numero prædeſtinatorum, an ſecus? Salutis meæ negotium in æterno Dei conſilio ſtatutum eſt? Non hoc ſignificare vult Apoſtolus, ſed quod operemur eadem cura, eadem feſtinatione, qua diligentia, quam adhibemus in negotiis illis quæ nos ſunt antiquiſſima. Sed quotuſquiſque a nobis hoc facere, atque cogitare videtur. Profecto, Auditores, mihi videtur de hac potius terra, in qua vivimus, quam

de